


05

A

1527





בְּגֵרָה:

DISSERTATIONEM HISTORICO-
CHRONOLOGICAM

De

EPOCHA MUN-
DI CONDITI,

In Alma Leucorea,

Sub PRÆSIDIO

ÆGIDII STRAUCHII S.S.

Theol. Lic. Hist. P. P. & p. t. Substituti,

Placido Eruditorum Examine

Sistit

M. MICHAEL STRAUCH,

Witteb. Saxo

A. D. 20. Novembr. Horis antemerid.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

Anno clō lo c LVIII.

DISSEKTATIONEM HISTORICO-
CHRONOLOGICAM

DE
EPOCHAMUN-
DI CONDITI



M. MICHAELIS A. 1527

THEOPHILUS WILHELMUS HENCKELIUS
ANNUS 1527

E
I
nu
ign
bu
co
po
re
qv
cre
ni
m
hu
me
uo
Co
To
ra
st
xi
Q
ro
ta
m



THESIS I.

*Epocham Mundi conditi demonstrare inter
δύσκολα quidem, nequaquam verò inter τὰ
ἀδύνατα numerari debet.*

§. 1.

Dolendum omnino est, Epocham mundi conditi & tempore & dignitate omnium primam, atq; celeberrimam, usq; adeo controversam esse, ut de certitudine ejusdem desperent multi: De Gentilibus quidem id minus miramur, quod historiam creationis, à Mose descriptam, vel ignorarint prorsus, vel fidem exiguam Scriptori Θεοπνεύσω habuerint. Etsi enim mundum coepisse aliquando, è naturæ finitæ conditione, firmiter demonstrari posse non dubitemus, de tempore tamen, quo ἀόρατα τῆ Θεῶν per creationem totius universi reddita sunt conspicua, præter Mosem nemo est, qui tradat quicquam. Quare Varro intervallum temporis, quod à creationis tempore ad diluvium usq; effluxit, ἀδηλον seu manifestum minimè vocavit, quod de eodem exotica historia omninò taceat, & Astrorum Princeps Ptolemæus improbat, quæ hujus Epochæ indagatiōni impenditur, operam, quando l. 3. μεγαλ. συνταξ. inquit: τὴν περὶ ὅλης τῆ αἰῶνι, ἢ καὶ τῆ μακρῶ τινι πολλὰ πλάσιον τῆ κατὰ τὰς τηρήσεις χρόνον, διαβεβαιώσεις ἀλλοθρίας Φιλομαθείας τε καὶ Φιλαληθείας ἠγάμεθα. Totius mundi, aut alius multiplicis temporis observationes considerare, putamus alienum esse ab ijs, qui discendi & vera cognoscendi studiò ducuntur. Neq; aliter Censorinus, jam suò tempore (vixit autem circa annum Christi 240.) opinatus est, quando ad Q. Cærellium c. XXI. scripsit: *Primum tempus* (quod cum Varro ab hominum principio ad cataclysmum priorem computat) *sive habuit initium, sive semper fuit, certè quot annorum sit, non potest comprehendere.*



§. 2. Etsi autem Christianorum hæc sit præ Gentilibus felicitas, quod historiæ profanæ defectum, Sacrà complere queant, putant tamen & eorum quamplurimi de hac Epocha nil certi constare posse: *Dionysius Petavius* Antiquitatum Scrutator sedulus aperte cum *Varrone* & reliquis Gentilibus facit: *Annorum numerus*, inquit *Ration. Tempor. part. 2. l. 2. c. 1. qui ad aram Christianam à mundo condito fluxerunt, nullâ certâ ratione, sed verisimili conjecturâ colligitur. Hinc illa in mundi annis putandis varietas auctorum, nemo ut ferè sit, qui hoc in capite cum alterius opinione concordet. Hujus diversitatis una hæc est, præcipuâq; causa, quod annorum illorum calculus non aliunde, quam ex Sacrorum librorum historia deducitur. Ea porro minus liquidam & explicatam temporum subductionem continet. Hæc & multa alia locò citatò non tantùm, sed etiam libr. IX. de Doctrin. Tempor. c. II. VI. & aliis in locis Petavius scribit, & consentientes habet *Johannem Gerbardum Vossium*, *Nicolaum Mullerium*, aliosq; *Dn. Hainlinus* vero, ut ut de certitudine hujus Epochæ non desperet prorsus, sed in annis Mundi supputandis gradatim nobis eundum esse moneat, ab uno particulari intervallo ad aliud; quæ primum accuratè colligenda, post aptè connectenda sint, ut nullus nec *ω εχ εγ υ ι σ μ ο ς*, nec *μ ε τ α χ ε γ υ ι σ μ ο ς*, nullus hiatus, nulla superfluitas interveniat, uti ipse in *Vindiciis pro Chronologia mystica p. 15.* loquitur; characteres tamen, quos in demonstranda hac Epocha adhibemus, plerosq; sarcasticè exagitat, & ne quidem feriam primam pro firmo caractere habet, quæ sententia ut cum priori conveniat, quis non videt?*

§. 3. Præ reliquis vero Chronologis illudit & eorum probationes eludit *Isaacus Peyrerius*, quando Præ Adamitarum fœtum infeliciter enixus est, negat enim is ipse originem mundi ab Adamo deducendam esse, neq; autumat homines, quorum creatio *Genes. c. 1.* describitur, Adamum & Evam fuisse, sed primos parentes Gentilium; Adamum verò statuit primum parentem Judæorum fuisse & tunc creatum, cum terra hominibus

bus abundaret, quod apparere putat ex eo, quod gentiles fastos suos ad tempora Præadamitica extendant, Chineses enim anno Christi 1594. numerasse annotat annum octingentes octuagesimum septuagesimum. Quod *εὐρημα* fabulosi scriptoris omnia media perveniendi in notitiam Natalis mundi Chronologis omnino adimit.

§. 4. Nos missis hisce & aliorum autorum opinionibus, annum & forsitan mensē quoque, atque diem, quō DEUS hoc universum creavit, investigari posse non dubitamus, tum quod adversa sententia Dei ipsius providentiam accusare videatur, quod permiserit is, interire omnia media, quibus in notitiam ejus temporis, quō omnipotentiam suam quam maximè declaravit & à creaturis coli cœpit, pervenire possemus, tum quod Spiritū Sanctum recensuisse singulorum Patriarcharum ætates è textu Mosaico appareat, cujus utiq; non alius scopus fuit, quam annales mundi delineare, tum quod opinio, quam *Scaliger*, *Calvisius* & alii probatissimi Chronologi firmis probarunt argumentis, & quam nos quoque nostram facimus, nullius erroris hæcenus convicta sit.

THESIS II.

Ex computo annorum Patriarcharum Biblico, certi aliquid de Epochâ Mundi conditi constare potest. Etsi enim quâ formâ & dispositione in Calendarijs suis Patriarchæ usi sint, inter autores parum conveniat, certò certius tamen hoc est, annum Ægyptiaco-Patriarchalem aliquando cum Solari Tropico & consequenter Juliano paria fecisse.

§. 1. Diversimodè diversos populos distinxisse & ordinasse tempora, neminem, nisi omnis antiquitatis ignarum latere potest.

potest. Fuerunt & sunt hodie, qui unius, fuerunt qui duorum, qui trium, qui quatuor, denique; qui plurium mensium decursum annum vocarunt. Inter reliqua vero calendaria præcipua sunt; *Solare Politicum, Nabonassaræum, Lunare, & Lunæ-Solare.* *Solare* quidem, cuius mensura est Solis per XII. Zodiaci Signa proprius motus. *Nabonassaræum*, quò neglectâ in perpetuum horarum appendice, 365 dies pro anno computamur. *Lunare*, quod duodenæ revolutiones Lunæ describunt, quæ 354 dies, cum appendice horarum aliquot, conficiunt. *Lunæ-Solare* in quo præter Luminarium Syzygias ad mensium attendimus tempestates, quæ ut statæ maneant, intercalatio mensis XIII efficit, qui toties additur, quoties è Solis motu petita ratiocinia alias per 30. dies Lunaria post se relinquerent. Ultrâ Calendarij formâ Patriarchæ antediluviani usi sint, cuius item Moses in computo suo rationem habuerit, in præsentî quæstio est, quam cum feliciùs expediri non posse simus persuasi, præterquam si in Ægyptiaci anni formam ante omnia inquiramus, de eadem aliquot probatissimorum Scriptorum opiniones adducemus breviter.

§. 2. Primo itaq; sunt, qui putant obtinuisse apud Ægyptios, vel certò ea Ægypti regione, in qua Patriarchæ tentoria sua fixerant, annum merè æqualem, qui Nabonassaræus vocari solet, ita ut Ægyptii ne unquâm quidem intercalarent, sed menses omnes *τριάκονθήμερος* habuerint, additis in fine quinque; *ἐπιπυόμενοις*. Quam sententiam *Petavius* in L. de Doctrina Temp. passim, itemque *Variar. Dissert. L. V. c. III. Capellus*, aliique suam faciunt, putantes; tempore diluvii annum æquabilem, 365. diebus perpetuo absolutum, in usu fuisse, atque ideò non nisi 1460. annis elapsis Neomenias Ægyptiorum ad eundem, in Calendario Juliano proleptico diem, rediisse. A qua sententia nec *Illustris Scaliger* multum abfuit. Etsi enim is L. III. de Emendat. Temp. p. m. 194. de anno Ægyptiaco acturus, ita auspicietur discursum suum: *Antiquissima & simplicissima anni forma, ac popularibus temporibus accommodatissima est ea, quæ in tricenarios*

numeros

numeros tribuitur. Nam sane antiquitus, praesertim apud Aegyptios, annus constabat tantum diebus trecentis sexaginta &c. Libro V. tamē p. 371. explicans diluvij Epocham, mensium æqvabilium, uti apud Ebræos olim obtinuerint, describit ordinem, quos etiam post exodum Israelitarum ex Aegypto apud populum Judaicum in usu vulgari obtinuisse autumat, quo trahit quod Sæculo Salomonis adhuc in populari anno mensium *Æthanim & Ziv* (quos menses æqvabiles anni dierum Hebraici fuisse asseverat) fiat mentio. Etsi vero hæc de anno Simplici sententia magnos, quos nominavi, autores, Patronos habeat, nobis tamē nondum sufficit ideò, quod putemus Patriarchas, motuum cœlestium peritissimos, nequaqvām tale habuisse Calendarium, in quo neutrius luminaris motus expressus fuerit, siquidem Nabonassarum lustrum à Solari Tropico per integrum diē differre, palam est. Quod autem *Ethanim & Ziv* sint nomina mensium æqvabilium inter *μανθόμενα* Scaligeri numeramus.

§. 3. Aliam itaq; de anno Aegyptiaco *Clar. Salmasius* opinionem fovet, qui in Exercit. Plinianis p. 552. Aegyptiacum Calendarium omnino Solare facit, non quidem ita, ac si more Julianò unum diem quatuor annis s. Lustrò addiderint, sed quod annis singulis horas 6. adjecerint, quâ ratione factum sit, ut si primus annus incepit à meridie, alter ab occasu Solis, tertius à mediâ nocte, quartus ab ortu Solis originem suam deduxerit, & hōc modò Aegyptios, citra diei totius intercalationem, obtinuisse censet, quod Julius Cæsar intercalatione diei assequeretur. Enimvero præterquam quod hujus methodi nulla non dicam fundamenta, sed ne vestigia quidem *Clar. Scriptor* allegare potuerit, in vulgari usu parum commoda fuisset hæcce Calendarij dispositio, turbatum enim sæpius dierum fuisset initium, non simplex amplius, sed per hanc hypothesin quadruplex.

§. 4. Sunt alij & inter hos *Jacobus Usserius Armachanus*, in *Hybernia, Episcopus*, qui opinantur, Calendarium Aegyptiaco antediluvianum prorsus Julianum fuisse, ita ut Sositygenes, Cæsar's Mathematicus, non novum excogitarit Calendarium, sed

vetu-

vetustissimi illius usum pristinum restituerit *Primorum Paren-*
sum, inquit Usserius, in Præfat. Annal. Vet. T. *veterumq; Ægy-*
priorum & Ebraeorum annus, ejusdem cum Juliano quantitatis fuis-
se reperitur, sed ex mensibus XII. equalibus, dierum 30, constans,
(Hebræos enim ante Babylonicam captivitatem Lunaribus mensibus
fuisse usos, probari non potest) dierum ἐπαγομένων 5. & quarto
quoq; annō 6. ad 12 mensis finem adjectâ appendiculâ. Pro qua sen-
tentia etsi Autor citatus nullius vetustioris scriptoris testimo-
nium alleget, succurrunt tamen nobis in præsentî, quæ Horus
Apollo habere dicitur L. I. c. 5. Βυλόμενοί τε ἔτ' εἰπεῖν τέταρ-
τον λέγουσιν. Ἐπειδὴ φασὶ κατὰ τὴν ἀνατολὴν τῆς ἄστρῃς τῆς Σώ-
σεως, μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς, τέταρτον ἡμέρας πρὸς ἴθεοι.
ὡς εἶναι τὸ ἔτος 18 θεῶν ἱερακοσίων ἐξήκοντα πέντε ἡμερῶν. ὅθεν
καὶ λέγεται τετραετηρίδ' ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύ-
πιοι. Ταὐτὰ δὲ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. Annum vo-
lentes dicere, quadrantem nominant: propterea quod ab uno
sideris illius ortu; cui Sothis nomen est, ad alterum, quarta diei pars
adjiciatur, ut annus Dei constet diebus CCCLXV. unde & quarto
quoq; annō vertentem supervacuum diem computant Ægyptii, nam
quatuor quadrantes diem conficiunt. Atq; hæc sententia quo no-
mine absurda dici queat, non apparet.

§. 5. Nos tamen eadem suo loco relictâ, verisimillimum
 opinamur, si non omnino verum, annum Patriarcharum, di-
 luvii tempore, è 12 mensibus *τρεκακονθημέροις & 5 ἐπαγομένοις,*
 hoc est, 365. diebus constitisse, seu ratione quantitatis annuæ
 Nabonassareum fuisse quidem, Patriarchas verò, cum ijdem æ-
 quinoctia & solstitia hæc ratione per omnes talis anni dies, spa-
 tio 1460 annorum vagatura esse, facile intelligerent, interca-
 landi ordinem forsitan hunc observasse, ut centesimum vigesi-
 mum quemq; annum non 12, sed 13 mensium *τρεκακονθημέρων,*
 hoc est 395. vel potius 394 dierum fecerint, atq; hac ratione an-
 ni initium ad primum terminum revocaverint, mobilem q; a-
 lias, immobilem reddiderint. Ita enim congruens causa, ob
 quam 120 annorum, non 100. vel alterius numeri, Deus in pœ-
 nitentiæ

nitentiæ tempore determinando meminerit, dari potest, scilicet quod ad seculi tunc omnibus notissimam quantitatem respexerit. Et hæc fastorum dispositio digna videtur, quæ Patriarchis autoribus adscribatur, cum ad Solis, principis astorum, motus alligata & insimul observatu facillima fuerit. Quare Scaliger quoque; L. III. de Emend. Temp. hanc opinionem reliquis præfert, quem utut Petavius more suo exagitet, fateri tamen L. IX. c. IX. necesse habuit, eandem sententiam non rejiciendam prorsus esse. *Verum nescio, inquit, quomodo propensiores in eam conjecturam sumus, ut & tricenarios fuisse menses arbitremur, & appendices quinq; , vel sex, aut plures, paucioresve dies accessisse, prout Solaris anni modum animo præceperant: vel etiam, ex appendicibus iisdem diebus collectum, tricenarium mensem, opportunò tempore, extra ordinem, inculcatum fuisse. Est enim antiquissima ista ratio, menstrua intervalla diebus triginta definiendi; quod hic modus ad Lunæ circuitus propius accedere videatur. --- Itaq; Patriarcharum, ac Diluvij tempore nihil prohibet, menses singulos tricenarios extitisse, quod reliquum erat, ex anno solari, id est in calcem anni rejectum, aut certis annorum evolutis spatijs admissum. Quantum porro illud fuerit, ideò certò pronunciari nequit, quoniam quis ab illis Solari conversioni modus præstitutus sit, investigare minimè possumus. Et probabile est, dierum $\pi\rho\rho\delta\alpha\varphi\alpha\sigma\epsilon\sigma\epsilon\iota$ annorum suorum labem illos identidem correxisse.*

§. 6. Quamdiu vero Calendarium Ægyptiacum apud Patriarcharum posteros, seu Judæos, obtinuerit, etsi ad præsens negotium parum faciat, disquiri tamen hîc solet. Johannes Keplerus Cæsareus Mathematicus usq; ad Macedonum tempora id in usu fuisse, asserit, ita tamen, ut è mobili in fixum Solare mutatum sit. Vid. Ejusdem Eclogas Chronicas p. 89. à qua sententia Usserium alienum non esse, verba, quæ paulo antea citavimus, facile evincunt. Nos etsi firmis rationibus tempus immutati Calendarii demonstrare non possumus, tamdiu tamen, atq; Keplerus vult, idem illud obtinuisse, probabi-

B

le

le haud æstimamus. Hoc unum certum est, ab exitu ex Ægypto in Ecclesiasticis negotiis Lunæ-Solare Calendarium Judæos adhibuisse, uti id in Dissertatione nostra de anno Ebræorum Ecclesiastico, prolixius demonstravimus. An vero in Politicis quoq; negotiis Calendarium Solare ab eo tempore in usu esse desierit, indubitato non liquet. Sunt equidem qui id asserunt. At obstate videtur *Josephi* testimonium, quod *Antiquit. L. I. c. IV.* extat; *Contigit autem diluvii vastitas, inquit, annò principatus Noæ sexcentesimo, mense secundo, qui Dius à Macedonibus vocatur, ab Ebræis Marchesvan. Sic enim Ægyptii distinxerant annum. Moses autem Nisan, qui est Xanthicus, mensem primum in suis fastis ordinavit, quod in eo Ebræos ex Ægypto eduxisset, eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit. Ἐπὶ μὲν τοιγα ὦνάς, καὶ περὶ αἰεὶς, καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν, τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε. Alioqui, quod ad nundinationes rerum venalium, reliquarumq; dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit.* Premuntur item, qui id asserunt, aliò dubiò, quod ex historia Regum Davidis & Salomonis *1. Reg. 4. & 1. Chron. 27.* oritur. Nam in iis locis dicitur, duodecim tantum præfectos, ad numerum mensium anni, à Regibus hisce constitutos esse. Quod si Calendarii Lunæ-Solaris universalis fuisset usus, sequi videtur; Regiam domum nonnunquam per integrum mensem victum caruisse, cum omnibus notum sit, Calendarii Lunæ-Solaris esse hanc indolem, ut quoties annus Lunaris Solarem per 30 dies & amplius post se relinquit, toties integri mensis, XIII. nempe intercalatione opus sit. Hæc & alia faciunt, ut cum Scaligero ἐπιόχεν sustineamus, qui ait: *Quando omnino hanc anni formam abjecerint Judæi, utrum temporibus Abrahami tantum usi sint, an verò ad tempora Nabopollassari, equidem nihil statuo. Sed Studiosi querant, nam plura nobis reperient.* Enimverò plura reperimus quidem, at nulla certiora.

§. 7. Restant ut expendamus paucis *Clarissimi Dni Wilhel-*
mi Langii, de anno *Adami & posterorum ejus ad Noachum usq;*
 opinionem; Is enim L. I. de annis Christi c. VI. in alia omnia
 abit. Summa discursus prolixioris, qui locò citatò habetur,
 hæc est: *Annus Patriarcharum talis fuisse videtur: ut menses à*
prima Φάσει inciperent, si Φάσις haberi poterat: Sin minus, tum
XXXI, à priori Φάσει dies, primus mensis sequentis esset: annus ve-
rò à messe dependeret: quæ, si XII. mense expletò, nondum matura
esset, integer mensis anno adderetur, adeoq; XIII. mensium annus es-
set &c. Scilicet hoc unum intendit Autor citatus, formam anni
 Lunæ-Solarem, respectu tamen ad Φάσιν habitò, antiquissi-
 mam esse, ac una cum tempore cœpisse. At huic opinioni o-
 mnino obstant, quæ in historia Diluvii *Genes. c. VII. & VIII.*
 legimus: Collectio nostra hòc modò se habet: In nullo anno
 Lunari, vel Lunæ-Solari quinque menses, immediatè cohæren-
 tes, 150. dies conficere possunt. At in anno Patriarcharum quinque
 menses continui tot dies conficiebant. Ergo annus Patriarcharum
 Lunaris esse non potuit. Majoris veritas in dubium vocari
 nequit; Ecquis enim præter omnis Astorum scientiæ penitus
 ignarus, quinque menses Lunares continuos plenos fecit? *Meto-*
nis certe atq; *Calippi* errores tolerari poterant, At hoc *παροργ-*
μα vel rustici animadvertissent; Mensis enim Lunaris quanti-
 tas secundum placita omninim Astronomorum est 29. D. 12.
Hor. 44. l. &c. Ex horarum appendice cavorum & plenorum
 mensium alternatio in anno Lunari, vel Lunæ-Solari oritur,
 quæ cum perpetua sit, exceptis annis abundantibus vel deficien-
 tibus, certe quinque menses nunquam è 150 diebus constabunt,
 ut non immerito *Scaliger* ajat L. 3. de E. T. p. 221. *Sane quem an-*
num Lunarem isti Metones conficere possint ex mensibus aequalibus
& plenis non video. Assumptum è citatis *Geneseos* capitibus
 ad oculos liquet & *κατὰ τὸ ῥητὸν* ibidem extat: Commemo-
 rat enim *Moses Gen. c. 7. 11.* diluvium die 17. secundi mensis
 cœpisse, post decursum vero 150 dierum, aquarum copiam pau-
 lisper decrevisse *v. 24. & cap. VIII, 3* quorum dierum ultimum

decimum septimum septimi mensis fuisse idem testatur v. 4.
 Excipit quidem Eruditissimus Scriptor, Noachum & reliquos
 Patriarchas menses à Φάσει auspiciatos esse, ritum autem cele-
 brandi neomeniam juxta Φάσιν esse hunc, quod mensis cavus
 esse nequeat, sine Φάσει: plenus possit. Si igitur Luna debito
 tempore visa non fuerit, mensis prior (inquit p. 69.) erat XXX. die-
 rum, sin debito tempore, saltem XXIX. Jam vero (pergit p. 72.)
 XVII. die mensis secundi, pluere incepit & aqua non sunt retenta
 ante finem CL. dierum. Quamvis enim diebus saltem quadra-
 ginta pluvisse dicatur; id tamen de continua pluvia intelligendum
 erit. Coelum sane CL. diebus pluviosum fuisse, nemo mihi negabit.
 • Istis ergo diebus Lunam videre Noachus non poterat. Secundum
 ergo mensem, tertium item, & quartum, quintumq; ac sextum, tri-
 cenarios facere coactus fuit: quod Luna nusquam videretur. E-
 nimvero adversus propriam hypothesein disputat Dn. Langius;
 dixerat enim in eodem capite; Scripturarios s. Carraim id so-
 lum vitare, ne plures menses pleni sint continui, quam quatuor.
 At Noachum, quem Scripturarios ritus exemplo suo docuisse
 non obscure indicat, asserit quinque menses continuos plenos
 fecisse; ita certe neque Rabinorum, neque scripturariosum Pa-
 tronus erit. Præterea quis persuadebit sibi, tam supinam fuis-
 se Noachi ignorantiam, ut nesciverit, quinque menses plenos in
 anno Lunari continuo se sequi nullò modo posse, sive ad Φάσιν,
 sive ad σύνοδον habeatur respectus? ut taceam, confundi recen-
 tissimas Judæorum quorundam consuetudines cum Patriar-
 charum ritibus. Sit ita; Judæos quòdam tempore, si Φάσιν
 habere non poterant, mensem fecisse plenum, an id statim ad
 Patriarcharum tempora quadrabit? Quo tempore Judæi
 Φάσιν observare cœperunt, Astronomicum studium penes
 eosdem erat excultum minus, ut tabulas construere, iisdemq;
 fidere non potuerint. At Patriarchas in Astronomico studio
 exercitatisimos fuisse, & Synodorum scivisse statuta tempora,
 nemo, ut opinor, ambigit.

§. 8. Atq;

§. 8. Atq; ex his, quæ ob argumenti præstantiam & difficul-
tem prolixius disputavimus, satis patet theses nostræ veritas.
Etsi enim varient autores in determinanda anni Ægyptiaco-
Patriarchalis forma, in eo tamen conveniunt, quod anni, quo-
rum computum Moses habet, cum Julianis aliquando paria
fecerint, cujus assertionis indubitata veritas nobis in præsentî
sufficit.

THESIS III.

*Tempus creationis τροπῶν ἡλιακῶν aliquâ,
idest, vel æquinoctio alterutro, vel Solstitio,
itemq; vel Pleniluniô vel Noviluniô
conspicuum fuit.*

§. 1. Fatemur equidem in Codice biblico & imprimis cre-
ationis historia, neutrius characteris mentionem fieri, cum
Moses non tam districtè tempus & Patriarcharum fastos, quam
res in tempore gestas, referre voluerit. Nihilominus tamen
inter Chronologos, qui characteres Astronomicos admittunt,
convenit ferè, DEUM ut ordinis autorem, in mundi creatione
quoq; ad principalia, seu cardinalia cœli puncta respexisse &
consequenter mundi natalè vel æquinoctiô alterutrô, vel Solsti-
tiô alterutrô, iteq; vel Noviluniô vel pleniluniô insignè fuisse;
Quorum prius antiqui Patres quidam in concilio, sub Victore
Episcopo Romano anno 198. in Palæstina habito, ex eo colle-
gisse dicuntur, quod DEUS creationis tempore divisit lucem &
tenebris, scilicet segmenta æqualia constituendo, quo modô,
æquinoctii tempore, diei artificialis divisionem fieri, nemi-
nem fugit. Atq; hoc argumentandi genus etsi apodicticum
non sit, tale tamen est, quali à præconceptis opinionibus libe-
ri, & μαθηματικώτεροι Chronologi facile assentiri solent,
B. 3 quam

quamvis nec ipsi inter se convenient, an hi characteres Astronomici cum primo creationis die connectendi sint, an potius cum quarto, quò Solem, Lunam, & reliqua astra à Deo producta legimus, quorum posterius cum *Mestlino, Codomanno*, aliisque magis litare veritati persuasus sum. Nunquam enim animum meum iuducere potui, ante quartum creationis diem æquinoctium & novilunium accidisse, vel hæc sine ingenti absurditate dici posse. Lux equidem primæva gyrò suò diurnò noctis atque diei vicissitudines faciebat, at æquinoctiorum & noviluniorum capax non erat. Quare puto, vel quartò creationis die æquinoctium, atque novilunium accidisse, vel primò post Sabbathum & completum creationis opus, quorum posterius *Ubbonem Emmium* asserere, memini, quando in Canone Chronico ad annum Per. Jul. 764 annotat: *Caput æra conditi mundi pertinens ad diem 26. Octobr. Julian. in serie annorum Julianorum in anteriora porrectorum, qui dies primus fuit à Sabbatho, quod egit Jehova, absolutò creationis opere, inchoans hebdomadam primam mundi jam perfecti, quo eòdem die conjunctio prima Solis & Luna facta prope æquinoctium.*

§. 2. Quicquid vero horum sit, sufficit consentire Chronologos, Luminaria, vel in ipsis cardinalibus cœli punctis, vel non procul ab iisdem creata esse. Parum enim curamus nonnullorum præposteram *ἀνεπιστάτην*, qui ineptè de hac re queri putant, quod mundus non tam in tempore, quam cum tempore creatus sit, itemque quod pro varietate regionum unò eòdemque tempore omnes anni vicissitudines experiantur incolæ, fervente enim penes nos æstate, alibi rigida bruma dominatur, alibi ver, alibi autumnus, uti *Clarissimus Dnus Georg. Philipp. Harsdorfferus* Delitiar. Philosoph. Mathematic. part. 3. p. 283 loquitur. Enimvero non de tempestate vernali vel autumnali, quæ pro varietate locorum & ipsa variat, sed de tempore autumnali, vernali &c: quæstio est, quod determinatur à Solis

à Solis in certa cœli signa ingressu, sine ullo ad terram habitō
respectū. Ita autumnum dicimus, quando Sol Libram, ver
quando Arietem & proxima duo Signa perambulat. Qua-
re sicuti impossibile est, idem Luminare simul opposita
tenere signa, ita eodem tempore ver simul,
autumnus, hyems atq; æstas esse
nequeant.

COROLLARIA.

I.

*Periodus Juliana, ut ut Epochæ Hypo-
thetica sit, tutissimè tamen in Historicis adhi-
betur.*

II.

*Periodam Julianam ob amplitudinem
suam & certitudinem utriusq; termini, à quo
& ad quem, commendamus præcipuè, quod si
enim constet, quæ ratione characteres Chrono-
logici in Periodo Juliana inveniri & anni cu-
jusvis Epochæ cum annis P. Jul. connecti debe-
ant, iidem quoq; characteres ad annos omni-
um Epocharum facillimè applicari possunt, ut
distinctis Epocharum Tabulis opus minimè
sit.*

III.

*Cæsaris Baronij Error, quem in Annis
Aure-*

Aurelij Probi numerandis commisit, nullò modo excusari potest. Violenta enim hæc solutio fuit nodi, quem ipsemet Baronius antea constrinxerat.

IV.

Traditionem Symboli, quod Apostolicum vulgò vocant, Apostolis tribuere, avισογησία est.

V.

Inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices mediam fuisse Papissam Johannam, fide digni testantur Historici, unde Davidis Blondelli, quondam Historie Ecclesiasticae in Illustri Schola Amstelodamensi Professoris subsidiarius labor, pro Pontificijs nobis inanis videtur & Reformato præprimis indignus.

VI.

Cyrillum Alexandrinum Monachum fuisse & quidem ordinis carmelitanorum, quod Tritemius et alij è Pontificijs volunt, putamus commentum esse plusquam ineptum.

F I N I S.

10
i-
a
n
a
I.
n
le
i-
o-
s
i-
d
i-

05 A 1527


ULB Halle 3
003 778 592



VD17







Farbkarte #13

B.I.G.

ORICO.
IUN.
CI,
HII S.S.
stituti,
mini
UCH,
erid.
NCELII,

